

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertationum Theologicarum, Quæ Celeberrimi Theologi D. Justi Christophori Schomeri Collegium Anti-Calvinianum, a multis avide desideratum : exhibent ...

**Secunda : Cap. IV. De SS. Trinitate, Cap. V. De Creatione, Cap. VI. De Providentia,
Cap. VII. De Angelis, Cap. VIII. De Imagine Dei, Cap. IX. De peccato Originali, Cap.
X. De libero Arbitrio**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, 1706

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1032790636>

Band (Druck)

Freier



Zugang



RU theol. 30.Juni.1706

Engelcken, Henr. Asc.

1a



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1032790636/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1032790636/phys_0004)

DFG

30.
924

I. N. J.
DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM,
Quæ
Celeberrimi Theologi
D. JUSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI
**COLLEGIUM
ANTI-CALVINIANUM,**
à multis avide desideratum, exhibent,
SECUNDA,
Sistens
CAP. IV. DE SS. TRINITATE,
CAP. V. DE CREATIONE,
CAP. VI. DE PROVIDENTIA,
CAP. VII. DE ANGELIS,
CAP. VIII. DE IMAGINE DEI,
CAP. IX. DE PECCATO ORIGINALI,
CAP. X. DE LIBERO ARBITRIO,
Quam
CONSENSU SUMME REV. FACULTATIS THEOL.
PRÆSIDE
DN. HENRICO ASCANIO
GREGORI
Phil. & SS. Theol. D. hujusqve P.P.
d. 30. Junii, Anno 1706. H. L. Q. C.
publicæ disquisitioni proponit
RESPONDENS
BERNHARD BALTHASAR HEEGER,
Rostoch. SS. Theol. Stud.
ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.
1706



VIRO

PRÆNOBILISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

DNO. JOHANNI MULLERO,

Districtus Wahrinensis Præfecto à Serenissima
Duce nostro Clementissimè constituto gravissimo,

VIRIS

ADMODUM REVERENDIS, PRÆCLARISSIMIS ATQVE
DOCTISSIMIS

DNO. M. NICOLAO BIMSIO

DNO. ANDREÆ HOEFER O,
Verbi divini Ministris, illi in Warnemündensi,
huic in Brülenſi Ecclesia, fidelissimis,

Nec non

VIRIS PRÆSTANTISSIMIS ATQVE INTEGERRIMIS

DNO. N. REISERO,

Præfecturarum Pöhl & Neuen-Kloster Notario
dignissimo,

DNO. HEINRICO ACHILLI
SCHALLERO,

Præfecturarum Wahrin & Tembtzin Nota-
rio meritissimo,

DOMINIS PATRONIS ATQVE FAU-
TORIBUS SUIS

Eternum colendis atque venerandis,
Dissertationem hanc
sacram effe vult

B. B. Heeger,

33

CAPUT IV. DE TRINITATE.

Quæstio 1.



N personæ divine à se invicem distingvuntur realiter, nō modaliter? Resp. aff. prius, neg. posterius; qvia
a) Qui differunt ut alius atque alius extra mentis operationem, illi differunt realiter. b) Personæ in casu recto non sunt modus Deitatis aut modus subsistendi; neqve enim, cùm persona incarnatur, modus Deitatis, sed Deus, incarnari dicitur.

2) Modus subsistendi est id, quo distingvuntur personæ; ergo non ipsa persona, qvæ distingvitur. 3) Modalis distinctione Personarum, qvā ejusdem essentiae distincti modi sunt Personæ distinctæ, vix differt à Sabellianismo.

Contra 1. Keckermannus L. 1. Syst. Theol. c. 3. docet, Personas divinas à se invicem realiter non differre, sed tanquam modum à modo. Consentit ipsi Ursinus & Sobnus, satente Crocio P. 2. convers. Pruten. p. 14. Et., qvi illum tanquam rectè sentientem defendit, ita tamen, ut protestetur, se ejus sententiam suam non facere. Postremò Marsilius annos. ad Syst. suum L. 3. §. 20. l. a & ex ipso Mästriche in Gangranā Cartesianismi c. 18 §. 9. Wittichium, qvod modalem distinctionem Personarum negasset, novitatis Cartesianæ, omni antiquitati, confessioni Belgice & omnibus eruditis adversæ postulant, realem autem negari, facile patiuntur Qvin & Claubergius de cognit. Dei & nostri exerc. 46. n. 12. accuratores Theologos negare realem distinctionem, docet. II. Wittichius Theol. pac. c. 1 § 7 Et., & cum ipso forte ali Cartesiani, utramq; & modalem & realem distinctionem respuit, negatqve Personas distingvi modis subsistendi.

Interesse hic nullum est, nisi in recentioribus auctoritas præcedentium, & in Wittichio etiam Cartesii, modos in Deitate negantis.

Obj. à prioribus a) ex Justino Martyre, vel qvisqvis auctor est librorum de expositione fidei & questionum ad orthodoxos, nec non

E

Dama-

Damasceno dialect. c. ult. patere, quod tota antiquitas personas per *modus subsistendi* seu modos subsistendi definiverit. Resp. 1) Pseudo-Justinus & Damascenus non sunt tota antiquitas. 2) Scriptores illi personam in abstracto, i. e. personalitatem seu subsistentiam divinarum personarum ita definiverunt, non in concreto & subsistens. Conf. Damasc. l. I O. E. c. 8 Et. l. 3 c. 12.

Obj. 6) Modis subsistendi distingvi, esse modaliter distingvi.
Resp. neg. Nam modaliter distingvuntur modi ipsi vel à re, vel à se invicem in eodem subjecto, est enim modalis distinctio minor quam realis.

Obj. ab utrisque : realem distinctionem esse essentialem, quæ in personas divinas non quadrat. Resp. neg. hypothesin ex communione hactenus ecclesiæ pbrass, quam alio torquere nemini est integrum.

Qvæst. II An Filius Dei non tantum modum subsistendi, sed & ipsam essentiam suam habeat sibi à Patre verâ & propriâ generatione communicatam ? Resp. aff. Quia 1) emphasis dictorum, in quibus dicitur *μονογενὴς* Job. I. v. 14, 18, & *πρωτότοκος* Col. 1, 15 Heb. 1, 6. id docet. 2) Vitam etiam, ut in seipso haberet, accepit Job. 5, 26. 3) Est enim, *απούσωμα & χαρακτήρα* Patris Col. 1, 15. Heb. 1, 3, quod in solum modum subsistendi non quadrat, secundum quem Patri potius dissimilis est.

4) Qvia terminus relativus sequitur rationem fundandi: unde si est proprius filius, non metaphorice, ut volunt Ariani; & portet etiam generationem esse propriam.

Contra I. Job. Molterus disp. quādam Marpurgi habita, ejusque disp. susceptâ defensione, de quā videatur Menzerus T. I. operum p. 861, docuit: voces generationis & processionis per quādām figuram & modificationem personis divinis accommodari. II. Kekermannus Synt. Theol. I. I. c. 3. p. 62. seq. negat, phrasin illam, quā essentia Filio Dei dicitur communicari, aliter salvari posse, quādā si exponatur per hanc: modus existendi secundus in Trinitate est communicatus à Patre; quod ille modus tantum seu ordo essentiæ communicationem admittat. Similiter Calvinus I. I. inst. c. 13 § 25, & Bucanus I. I. de Deo p. 6, Filium esse à se ipso quā Deum, & quā Filium tantum à Patre, scribunt. Sic

¶

758

¶ Calvinus in Col. c. 1, Filium dici imaginem Dei, quia Patris voluntatem nobis revelavit, satis jejunè exponit.

Obj. I. Filium esse à utrōque, adeoqve essentiam ipsam non habere aliunde. Resp. Vox à utrōque propriè sonat ipissimum Deum, seu Deum formaliter consideratum, aut etiam revera Deum ratione essentiæ, ¶ sic Filiu vocari poterit à utrōque, sicut à utrōque dicitur Basilio l. 4. contra Economum ex Joh. V, 26. Si verò vox illa relationi originis opponatur, seu communicationi essentiæ divinæ, qvod fecit Origenes T. 2. in Job., in Filium non conveniet, qvandoqvidem essentiam & originem Filius per æternam generationem à Patre habet. Conf. de hâc voce Voetius Tom. I. diss. select. p. 442. ¶ it. Scherzeri System. Theol. L. de Deo §. 25.

Obj. II. *Esse hic in re ipsa consensum, cùm & Keckermannus communicationem essentiæ tantum absolutæ & quâ talis neget, non verò consideratæ cum modo subsistendi, & Molterus propriam generationem agnoscat, tantummodo vocem à creaturis ad divina translatam, modificatione qvâdam indigere dicat, ut imperfectio omnis inde tollatur.* Resp. 1) Keckermannus tamen I. ostendit, sibi pbrasim illam: communicare essentiæ, displicere; II. essentiam cum modo consideratam male explicat per ipsum modum, & hanc illius phraseos vult esse ultimam analysin; III. Cùm nulla ratio sit timendi, né quis apud nos credat, essentiam quâ talem, i. e. quat. præcisè & abstractive essentiæ est, communicari; videtur elenchum oppositorum datâ operâ commisso, ut verum interesse suum tegeret, qvod fortean hæret in negatione communicationis priorum. 2) Molterus I. male supponit vocem Paternitatis & generationis à creaturis ad Deum transferri, contra Eph. 3 v. 15. II. Imperfectionis purgationem, qvæ in voce si, male extendit ad orationis figuram, qvæ sensum parit improprium, & h. l. metaphoricum.

Quest. III. An Deitas Filii sit gloria arque dignitatis immutabilis? Resp. aff. qvia 1) Regnum sceptrumqve ejus durat ab eterno in æternum Ebr. 1. 18. 2.) Christus etiam in statu exinanitionis communem sibi cum Patre operationem vendicat, Joh. 5. 17, ejusqve gloria in eo statu tanquam unigeniti à Deo Filii visa est Joh. 1, 14.

Contra Calvinianos plures sentiunt, 1) qui Christum etiam se-
E 2 cun-

secundum utramque naturam exinanitum esse dicunt occultatione gloriae suæ, ita ut secundum utramque naturam & Patre & seipso nat' exoropiar minor factus sit, ita *Vociss. T. 2. diff. select. p. 267.* & alii ibidem citati. 2) *Qui dona infinita non naturæ alterutri, sed persona ipsius, esse in tempore concessa dicunt;* ut *Trelocarius & Sadel apud Gerb. exeg. de Pers. Christi S. 208,* quandoquidem & personalitas ejus divina est, & persona à naturis suis realiter non distingvitur. *Interest ipsorum est, eludere collationem idiomatum divin.* Christo secundum humanam naturam factam.

Obj. I. Officium mediatoris, quod Christus secundum utramque naturam geslit, esse divina dignitate inferius. *Resp. Neg. hypothesis;* cum 1) *Mediator quis esse posse etiam apud patrem,* imo & inferiorem, idque per ipsam auctoritatem Regii splendoris, ut docent exempla politica nostrorum temporum. 2) *Christus etiamnum sit mediator,* quia sacerdos in æternum, *Ebr. 7, 24,* & *advocatus apud Deum,* *Job 2, 1.* unde sequeretur, eum hodieque exinanitum esse, quod est absurdum.

Obj. II. Christum repetere manifestationem gloriae, quam habuit, *Job. 17, 5.* *E.* aliquandiu abdicatam. *Resp. 1)* Qværit Christus glorificationem *ni apud Patrem:* ergo non gloriae manifestationem; 2) *Petit glorificationem reciprocam v. 1,* ergo non præcisè abdicatam cum Pater utique non fuerit exinanitus. 3) *Petit tamen, quod abdicerat secundum humanam,* "non divinam naturam. (Alias objectiones contra h. I. à Polano imprimis motas, dilutas vide apud Glaff. comm. in c. 17. "Joh. sect. 2. § 4. p. m. 259.)

CAPUT. V. DE CREATIONE.

Ques. I.

AN formatio cali & terra ex rudi indigestaque mole per se sola vi mechanicarum naturæ legum fieri potuerit? *Resp. neg.* Qvia efformatio illa prædicatur 1) ut opus omnipotentiæ divinæ *Psal. 136, 4, seq. Eze. 44, 24,* (2) ut opus sapientiæ divinæ *Jer.*

Jer. X, 12. & c. II, 15. (3) ut opus intellectum humanum o-
mnem superans Job. 38, 4.5. Eccl. 3, 11.

Contra Cartesiani, & in his *Wittichius Theol. Pacif.* §. 67. docet : mundum in hanc formam, & omnes quas habet, rerum species sponte sua conflari potuisse, si Deus rudi materiae non nisi duplicitatem motur, alterum gyrationis alterum vorticis indidisset ; & in eam rem proponunt hypotheses ordinis Mosaicorum planè adverbas, quas tamen necessarias esse dicit idem §. 67., easque ut totidem theorematum, ad motum terræ circa solem evidentissimè demonstrandum proponeat *diss. de consensu verit. c. 8.*

Interesse ipsorum est in P. 3. princip. Philos. Cartesii, de quo vid. Coll. nov. Controv. c. V. §. 3.

Quesit. II. An mundus hic sit infinitus ? Resp. neg. quia (1) Deus eum infinitate sua excedit, 1. Reg. 8, 27. Job. 11, 8, ut & Christus maiestate cœlos transcendit omnes, Ebr. 1, 7, 26. Epb. 4, 10. (2) Cœlo non repugnat arctius contrahi, juxta visionem Apoc. 6, 14, unde necessario terminos habebit. (3) Si duo statuuntur infinita, Deus & creatura, hæc illi necessario certa ratione coagvabitur, quod absurdum.

Contra Cartesiani, ut *Wittichius Theol. pac.* §. 185. & *conf. verit. §. 130.* ex idea mundi, à DEO prout se revera habet impressa, proficiuntur, ut in ipso nulli fines concipi debeant, isque omni termino singibili intelligatur esse major; si alias communiter ad inviadim verbis declinandam, munera non infinitum, sed in infinitum vocare ament.

Interesse illorum est hypothesis de identitate spati imaginarii & realis, & iterum spati realis atque corporis.

Quesit. III. An cœlum primi diei sit opus peculiare aliquod DEI & Beatorum receptaculum ? Resp. neg. quia (1) thronus DEI est æternus Psal. 5, 7, & sic cœlum creatum thronus DEI esse nequit: sed ipsa DEI gloria & maiestas erit. (2) Deus inhabitat lucem in aeternum, 1. Tim. 6, 16, itaque non habet habitaculum cum Angelis & beatis commune. (3) Deus cœlo nullo locali aut corporeo concluditur, 1. Reg. 8, 27. (4) Angeli, etiam dum custodiunt parvulos in terra, faciem DEI vident in cœlis, Er. cœlum beatitudinum illorum statu & loci

nomen est. (5) Promittitur cœlum novum beatis *Esa. 65, 17. c. 66, 22. 2 Petr. 3, 13. Apo. 21, 1.* Ergo id, quod beatorum dicitur, ab initio mundi non fuit reale spatum. (6) *DEus ipse etiam templum suorum erit Apoc. 21, 22.* Ergo illi loco corporeo non indigent.

Contra Calviniani plerig. illud esse cœlum extimum omnium, corporeum & locale, substantia subtilissimæ & lucidissimæ volunt, in quo thronus DEI sit, & Angeli atque homines beatitudine sua coram DEO fruantur, vid. *Kloppenburg disp. 3. de creatione, Walaeus, Altingius, Amelius, Bergius, Crocius, citati apud Calov. T. 3. Syst. p. 997;* in eoque distinctas cellulas & mansiones, stationem, sessionem, deambulationem fingit *Bullingerus in c. 14. Job. v. 7.* Cartesiani autem in specie, qvia (1) in idea mundi infiniti nihil habent extimum, locum aliquem inter vortices peculiarem illi assignant; (2) Qvia mentes, i.e. DEum, Angelos & animas hominum relationem ad locum, nisi operationis, nullam habere centent, soli corpori Christi & beatorum resurgentium tale cœlum necessarium existimare debent.

Interesse alias omnium est, negare omnipresentiam corporis Christi, ejusque ascensionem in cœlum & sessionem à dextris DEI facere localem.

Obj. I. Cœlum DEI & Beatorum describi per domum, in qua sunt habitationes plures, *Job. 14, 2.* per domicilium *2 Cor. 5, 1. Jud. v. 6,* tabernaculum *Luc. 16, 9,* sacrarium, *Hebr. 9, 24,* civitatem DEI, *c. 12, 22. &c.* Resp. Nomina hæc sunt allegorica, perinde ut nomina epularum & mensæ, *Mattb. 8, 11,* sinus Abrahamitici, *Luc. 16, 23. &c.*, nec significant nisi felicissimum statum, atque in eo perdurationem, ut partim etiam, nempe *2 Cor. 5, 1. Ebr. 12, 22.* ipse contextus satis perspicue innuit.

Obj. II. Cœlum esse regnum à condito mundo paratum, *Mattb. 25, 34.* Resp. Non constructione loci, (qvia Regnum nec locus, nec loci consequens est,) sed felicitatis ejus nobis facta decreto.

Obj. III. Cœlum DEI esse omniaibus aliis superius, *Col. 3, 1. Epb. 4, 10.* Resp. Altissimum est dignitate, ut per ea, quæ supernè elevantur, illustria, quæ ad pedes jacent, obscura & vilia vulgo intelligimus.

CAP. VI.

CAPUT VI. DE PROVIDENTIA.

Quæstio.

A Nomnium, quæ in mundo sunt, ex determinatione DEI sit fatalis necessitas? Resp. neg. qvia (1) homini tribuitur agendi libertas, Gen. 4, 7. Act. 5, 4, eaqve citra necessitatem, 1. Cor. 7, 37. (2) Optio contrariorum homini conceditur, Deut. 30, 19. Jos. 24, 15. 2. Sam. 24, 12. (3) Homini culpa omnis peccati & resistentia adversus Sp. S. attribuitur Isa. 65, 12. Matth. 23, 37. Luc. 7, 30. Act. 7, 51. (4) Fato generali necessitante, omnes leges, deliberationes, præmia, supplicia frustra sunt, & mera mentis ludibria; qvod absurdum.

Contra I. Supratap[ari]t omnes, ut Zanchius de naturâ divinitatis l. 5. c. 1. qv. 4, Piscator P. 1. resp. ad duplicationem Vorstii p. 168. Beza P. 2. resp. ad Acta colloq. Mompelg. p. 152. Chambier T. 2. pan[er]ratiae l. 2. c. 5. 8. 9. ipse Calvinus l. 3. inf. c. 23. §. 8. docent: omnia ex decreto & providentia divina evenire necessariò, causis secundis omnibus ad unam partem certo determinatis, adeoqve respectu Dei nihil esse contingens, dicit Calvinus l. 1. inf. c. 16. §. 9. Nec sati nomen declinant Rivetus l. 4. Catbol. oribod. qv. 6. Macrovius, atqve alii, distinguentes tamen inter fatum Stoicum, qvo Deum ipsum impli- cari dicunt, & Christianum, qvod à Deo dependeat. II. Cartesianè in specie assumunt hypothesisin Gab. Bielia, Petri de Aliso &c aliorum que qvorundam Scholasticorum, qvod effectus causarum secundarum propriè ab iis non producantur; sed à causâ primâ ad illarum tantum præsentiam unice efficiantur, ut positiâ voluntate hominis effectus sequatur à Deo productus.

Interesse omnium est absolutum decretum, supra lapsum ascendens, congruum enim erat de omnibus rebus dicere, qvod de œconomia salutis humanæ meditabantur. Horum autem scorsim 1) ad communem hypothesisin doctrina de omni rerum veritate à voluntate divinâ dependente; 2) ad specialem doctrinam, qvâ mentis operationem omnem in merâ voluntate ponunt, unde explicare nequeunt, qvomodo homo non nisi volendo materiam mouere queat.

Obj. I. Omnes omnium hominum egressus esse à Deo, Prov. 29, 24, 6. 16, 9, etiam sermones ib. v. 1, neqve in hominis po- testa-

testate qvicquam esse positum, *Ier. X, 23*, qvod idem speciatim de Regibus affirmetur *Prov. XXI, 1*, doceantqve exempla Scripturæ passim, ut conciliatio favoris Ægyptiaci Israëlitis divinitus facta, *Exod. 3, 21, c. 11, 3. c. 12, 36*, & Josepho *Gen. 50, 21*, & Danieli ac sociis *Dan. 1, 9*, conciliatio nuptiarum Samsonis, *Jud. 14, 4*, impulsio Saulis ad bellum, *I Sam. 11, 6*, &c. Resp. (1) *Prov. 16, 1, 9*, libertas consiliorum homini conceditur oppositè ad directionem divinam lingvæ & actionum; *E. saltem voluntas hominis determinationi divina non subiectur.* (2) *Ier. X, 23*, contextus docet, agi de successu hostium in susceptis contra Dei populum consiliis, quæ jam propè aderant, *v. 22*, & Propheta deprecatur *v. 24*, præterea verba objecta loqvuntur de directione jam tum ambulan-*ti.* (3) *Prov. XX, 24* sermo est de viâ, quam homo ignorat, consilio-*rum autem suorum ignarus esse non potest: E. illuc qvoqve successus intelligi debet.* (4) Hinc juxta analogiam Scripturæ concludit-*ur: directiones eventuum & flexiones cordis Regii Prov. 21, v. 1. esse prudentia divina cautionem, objecta & occasionses aliter ali- terque subjicientis; non verò actionum consiliorumqve determina- nationem physicam.* (5) *Nec à particulari ad universale, ab extra- ordinariis exemplis ad ordinarium & perpetuum rerum cursum valet conseqventia.*

Obj. II. *Libertatem voluntatis non consistere in indifferentia ad opposita, sed in spontaneitate.* Resp. Contrarium docent (1) loca Scriptura in theseos probatione producta; (2) communis hominum sensus, juxta qvos ejus est velle, qvi potest nolle. (3) Spontaneè agit, qvi aliena vi non impellitur; Ergo in sententia Calvinia-*na nulla spontaneitas datur.*

Obj. III. Si voluntas hominis in determinatione sui DEO non subjaceret; eam fore ab ipso independentem, qvod absurdum. Resp. Voluntas libertatem, ejusqve usum liberum habet à DEO, suum etiam concursum generalem prestante; adeoqve in eo non est independens, et si indeterminata,

CAP. VII. DE ANGELIS.

Ques. I.

An sancti Angeli, ab iis qui in peccatum lapsi sunt, ex absoluto DEI decreto disincti & ab initio impecabiles facti sint? Resp. Neg. qvia

qvia (1) Diabolus mentitus vel peccans, ex proprio peccat, Joh. 8, 44, & Angeli mali spontaneæ desertionis accusantur & condemnantur Jud. v. 6. (2) De prædestinatione, peccato & lapsu Angelorum analogiæ ad econiam hominum & sanctitatem DEI, in S. literis manifestatam, sentiendum est.

Contra Calviniani plures tam Sublapsarii, quam Supralapsarii, prot ut hominum electionem atque reprobationem fatalem & ab solu- eam statuant, etiam de Angelis sentiunt, ut præter Calvinum ipsum l. 3. inst. c. 23, Bucanus instit. L. 36. qu. 6, Polanus l. 4. Synt. c. 8 & 10. &c.

Interesse ipsorum est in analogiâ hypothesis de providentia uni- versali & prædestinatione hominum.

Obj. Angelos dici electos i Tim. 5, 21, cujus electionis à parte Angelorum nulla causa assignari possit; nisi more Pontificio meritum in illis agnoscere velimus. Resp. Assignamus pre visionem perseverantis obdientie, quam citra meritum DEUS gratuito favore remunerare voluit.

Quest. II. An sancti Angelii Christo mediatore opus habuerint? Resp. neg. qvia (1) Incarnatio & officium Christi non nisi nobis, seu in no strum bonum, factum esse dicitur, Esa. 9, 6. Job. 3, 16. 1 Cor. 1, 30, etiam ab Angelis ipsis, Luc. 2, 11, unde & mediator tantum hominum vocatur i. Tim. 2, 4, seq., & novi testamenti, veteri cum Israë litis perculo sacerdentalis, Ebr. 9, 15. c. 12, 24. (2) Redemptor presupponit peccata, Matt. 1, 21, cum sani non egeant medico, Matt. 9, 12, Sancti autem Angelii nec facto suo lapsi sunt, qvorum quippe sanctitas nobis pro normâ statuitur Matt. 6, 10. conf. Psal. 103, 20. nec vitiosi creati, alioquin culpa redundaret in Deum. (3) Expressè dicitur Christus Angelos non assumere, Ebr. 2, 16.

Contra Calvinus comm. in ep. ad Epb. 1, & Col. 1. Zanchius T. 3. de operibus Dei l. 3. c. 23, Bucanus institut. Theol. L. 6. qu. 30, Polanus l. 4. Synt. c. 8. Molineus vol. I. thes. Sedanen. p. 154, aliquod docent, An gelos etiam in Christo, tanquam mediatore, non quidem redem tionis sed conservationis, ad vitam æternam electos esse, cò qvod ipsorum justitia & integritas sic coram Deo manca sit, ut justitia Christi tegi debuerit. Unde etiam illos membra ecclesiæ Christi faciunt. Conf. Polanus l. 7. Synt. c. 3.

Obj. I. Etiam in Angelis inveniri prænitatem Job. 4, 18. Resp. I) Probabilius est vocem נְהִלָּתָה per lucem seu splendorem,

quād per stultitiam vel pravitatem explicari debere; ut sit sensus: neque Angelis id credit Deus, (quod cum ipso contendere possint) sed ipsis splendorem suum liberaliter communicat; 2) Si tamen per stultitiam verteretur, sensus esset hypotheticus, quod stultitiae eos Deus notaret, si cum ipso contendere velint. 3) Etiam comparatè primum dici potest, quod licet minimè mancum; minus tamen excellenter bonum est.

Obj. II. Christum omnia in cœlis reconciliasse, seque iis conciliasse caput, Col. 1, 18, 20. Eph. 1, 10. conf. v. 22. Resp. (1) Christus Angelorum quidem caput est ratione dominii, perinde ut omnium creaturarum; non tamen propterea ratione influxus peculiaris gratiæ & meriti. 2) Reconciliatio omnium explicatur in textu *per pacem inter cœlestes & terrigenas fratrem*, quod, postquam homines Deo reconciliati sunt, etiam Angelis sunt, cum iisque jam communis societatis jura adipiscantur. Ita de pace mutuâ Judæorum & Gentium per Christum factâ vid. Eph. 2, 14. Ita 3) colliguntur omnia, cum homines Angelis accedunt.

CAPUT VIII. DE IMAGINE DEI.

Quæst. I.

AN ad imaginem DEI pertineat ipsa anima hominis? Resp. neg, qvia 1) Vox imaginis alias de homine usurpata formam mutabilem significat, quæ contraria imagine expelli potest 1. Cor. 15, 49. 2) Renovatio nostri ad imaginem Dei, Eph. 4, 23. Col. 3, 9. 2. Cor. 3, 18; eam amissam esse docet. 3) Animæ nostræ propter immaterialitatem cum Deo non est statuenda generica identitas, ut in eo similitudo essentialis fundetur; cùm Deo nihil simile sit, E'. 46, 5. c. 40, 17. seq.

Contra Bucanus inst. Theol. L. 9. qu. 8. sc. Polanus l. 5. Synt. t. 34, Rivetus exere. 5. in cap. 1. Gen. Wendelinus l. 1. Theol. Christ. c. 1. aliquæ plures, imaginis divinæ duas partes faciunt, ipsam substantiam animæ & dotes ejus excellentiores.

Interest illorum nullum est; Nostrum autem, ne sic via pandatur Pontificiū, naturæ corruptionem negantibus.

Obj. I.

Obj. I. *Immaterialisate, intellectu, voluntate animam referre Deum*, earumque facultatum in una anima combinatione S. Trinitatem. *Resp.* (1) Si quævis attributorum vel prædicatorum diversorum communicatio fundat imaginem Dei, omnes res, quatenus entitatem habent, & omnia bruta, quatenus vitam habent, ad imaginem Dei essent creata, quod absurdum. (2) Multò minus exempla naturæ, quæ non ad rationem Trinitatis divinæ docendam, sed ad instantiam adversariis thesibus opponendam qualitercunque formantur, imaginem Dei fundabunt; alioquin & scilicet, in quo radius, lux & calor deprehenduntur, *imago Dei* parijure dicendus est. (3) Non esse inter Deum atque spiritum creatum essentiali conformitatem, jam tum occupatum est. (4) In eâ igitur prærogativa tantum *imago Dei* ponenda est, quam S. literæ innuunt.

Obj. II. *Nullam esse rationem interdicti de homicidio Gen. 9, 6, & maledicentiâ vitandâ, Jac. 3, 9, ab imagine Dei petiti; conf. etiam 1 Cor. 11, 7, nisi *imago illa* etiam post lapsum reliqua sit.*

Resp. Ratio interdicti utriusque est *imago Dei* non retenta, sed *restauranda*; intentio Dei bona circa hominem, non ipsa actualis felicitas; posteriori verò loco prærogativa maris non simpliciter ex imagine Dei; sed ex ordine creationis deducitur, ubi nihil attinet imaginem Dei jam amissam esse.

Quest. II. *An protoplasmorum tam perfecta fuerit justitia, ut sufficiens viribus, quibus temptationibus diaboli resisterent, essent muniti?*

Resp. aff.: quia (1) ad imaginem Dei conditus est, Gen. 1, 26. Et c. i.e. in perfectâ justitiâ, juxta Epb. IV, 24. (2) Omnia quæ Deus crevit, sunt valde bona Gen. 1, 31. Qvicquid autem fini suo connaturali (ut in homine fuit operatio justitiae) in omni casu sufficiens non est, bonum & perfectum non est. (3) Deus neque post lapsum legitur quemquam deserere, nisi propter antecedens peccatum quoddam voluntarium, Rom. 1, 24. 2 Thess. 2, 11; ergò multò minus ante lapsum id fecisse dicendus est.

Contra Supralapsarii omnes aperiens, Sublapsarii obscurius, p. gr. Ursinus P. I. explic. catech. qv. 7. m. 4, & Potanus l. V. Synt. c. 34. p. 607. docent: homini gratiam persistendi in oboedientia & resistendi diabolo divinitus datam non esse; & ipse Calvinus tr. de occultâ DEI provid. p. 738: Deum hominem ingenitâ fragilitate ad rui-

nam aptasse scribit. Hinc etiam, Rijssenius tr. Belgico: de oude
Waecheyt c. 8. inter Cartelianos errores refert: quod non ab errore
mentis, sed ab aversione voluntatis primum hominis peccatum deducant.

Interesse illorum commune est in auxiliis divini irresistibilitate;
Supralapsariorum propriam, in ordine decretorum divinorum &
determinatione universalis providentia. Unde Maresium, quod deter-
minationem in statu innocentiae divinam cum Jansenianis ne-
garet, puerilis, crassi & pudendi erroris, in ipsa Christianæ &
Reformatæ religionis principia directè incidentibus, accusat Ne-
thenus in epist. Pastorum Ultraject. defensioni premissa p. 16; Nostrum, san-
ctitatem bonitatemque Dei illibatam tueri.

Obj. Adamum ignorantiarerum, nempe intentionis Dei, &
effectus ex fructu gustato orituri, circumventum esse. Resp. Igno-
rancia illa fuit affectata eorum, qui & de bonitate & veritate Dei
persuasi esse debuerunt, & sic ex comminatione ejus scire, quis
eventus comeditionem fructus interdicti maneret.

Quæst. III. An homo etiam in statu integratæ Christo mediatore
indiquerit? Resp. neg. quia 1) *Incarnationis Christi causa* semper
asseritur *destructio operum Diaboli*, Gen. 3, 15. 1. Joh. 3, 5, 8. & re-
demptio à peccatis, Matth. 18, 11, c. 20, 28, quod in statu integri-
tatis locum non habuit. Conf. oppositio Adami primi & se-
cundi Rom. V, 12. seq. 2) Homo primus rectus & justus creatus,
alio subsidio indigere non potuit; quippe sufficiens sibi ad ser-
vandam legem, quam quis servat, in eâ vivet, Rom. X, 5.

Contra Bucanus inst. L. X. qv. 3, Zanchius, Willetus & alii docent:
Christum etiam venturum fuisse, etiamsi homo non peccasset,
eoque opus fuisse ut mediatore, non quidem reconciliationis, sed
conservacionis.

Interesse est in affini quæstione de Angelis c. 7. qvæst. 2.

Obj. I. Sine Christo nihil hominem posse Job. XV, 5. Resp.
Nihil potest in hoc statu corrupto; potuit tamen in statu integro, si
intelligatur, quod h. I. intelligitur, officium *esar* *gōwānūs* sacerdo-
tale & Regium.

Obj. II. Decreta DEI esse immutabilia, Rom. X, 29, & sic quoq; de-
cretum æternum de mittendo Filio DEI impleri debuisse, qvic-
quid fieret de hominis lapsu. Resp. Decretum aliud erat forma-
tum sub hypothesis lapsus. Ergo salva immutabilitate DEI non po-
tuit citra lapsum impleri.

Quæst. IV.

Quæst. IV. An homo ante lapsum fuerit naturaliter immortalis? *Resp.* aff.: qvia mors non nisi per peccatum intravit, *Rom. V, 12*, tanquam ejus stipendium *c. VI, 23. Gen. 3, 19*; unde vi contrarii sensus concluditur, qvod à statu integro planè exularit.

Contra Calviniani pauci, ut Timplerus *l. 3. Empsykola c. I. probl. 13*, Kekerm. *l. 2. Syst. Theol. c. 2*, nec non *ex Cartesianis Grænewegen Catechismi p. 29.* docent: hominem ex natura sui etiam in statu integro fuisse corruptioni & morti obnoxium.

Interesse priorum est in lectione Scholasticorum, posterioris in principiis Philos. Cartesii de homine.

Quæst. V. An arbor vite hominem in vita immortali verè efficaciter conservare debuerit? *Resp.* aff. qvia 1) Deus ipse *Gen. III, 22*, hunc effectum illi adscribit. 2) Eundem in esu; non in aspectu & memoria ponit. 3) Cessante licet promissione, quâ etiam symbolum promissionis necessariò cessare debuit; hanc tamen vim arboris non cessasse prodit. 4) Per interclusam ejus viam commodum ejus homini sustulit, cuius tamen memoriam propterea non sustulit, sed in ipsâ historiâ servavit.

Contra Calvinus & Fr. Junius uterque in notis ad b. l. Keckerm. l. 2. Syst. c. 2, Pareus, Willetus aliiqve, arbori huic virtutem tantum significativam tribuunt, qvod symbolum fuerit vitæ æternæ divinitus acceptæ vel promissæ.

Interesse ipsorum est in negatione Sacramentorum N. T. efficacia; qvam oppugnant generalibus argumentis, quod creaturæ & rei materiali non possit adscribi effectus spiritualis.

Obj. I. Hominem jam tum immortaliitate donatum, eam non de-nuo ab arbore vitae habere potuisse. *Resp.* Potuit habere confirmationem ejus, quæ etiam possibilitatem moriendi omnem remotam tolleret.

Obj. II. *Gen. 3, 22*, rē 1 non esse copulativē, sed causaliter explicandum de intentione Adami; non rei eventu. *Resp.* Si nonnisi falsa perswasio Adami hic intelligitur, non opus erat, ut ob ex illa ponereetur, ne ad arborem accederet.

CAPUT. IX. DE PECCATO ORIGINALI.

Quæst. 1.

AN Deus peccati seu Adamitici seu reliqui omnis causa & autor sit?

Resp. neg. quia 1) Deus summè sanctus est, *Esa. VI, 3.*
Apoc. IV, 8. & bonus *Matt. 19, 17.* & justus *Dan. 9, 14.*
 omnis autem justi injustique denominatio ab operatione recte
 desumitur, *I. Job. 3, 7, 8.* 2) Omne peccatum aversatur, *Ps. 5, 5. Et c.*
 non autem facit, nisi quo delectatur, *Ps. 115, 3.* 3) Nec ad malum tentat, *Iac. 1, 13.* nec malum ab ipso est, *I. Job. 2, 16.* sed culpa
 peccati in homines devolvitur, *Dan. 9, 7.* 4) *Nobis actionum malarum procuratio & participatio interdicitur, I. Tim. V, 22,* quos tam
 men ad instar sanctitatis sua Deus sanctos esse vult, *Lev. 19, 2. item I. Pet. 1, 16.*

Contra Supralapsarii vel expresse dicunt, Deum esse causam peccati, ut Zwinglius serm. de provid. c. 5. & magis etiam quam homo, ut Bucerus in c. I. ad Rom., vel Deum impellere homines ad peccatum internâ vi, ut Martyr in ep. Rom. f. 38, vel ordinare hominem ad peccatum suo decreto, ut Calvinus l. 3. inst. c. 23, Maccovius L. C. c. 48. p. 455, in specie Adamum, ut Zanchius l. V. de nat. Dei c. 2, qui proinde necessariò peccaverit, nec aliter potuerit, ut Rennecherus in catenâ salutis aureâ c. 6; Unde peccatum non esse contra voluntatem Domini, internam nempe, quæ beneplaciti dicitur, statuunt Maccovius Theol. Polem. c. 12, & Sam. Rhetor fortis de provid. c. 22; quandoque autem voluntatem illam explicant de permissione tantum, ut ipse Maccovius l. c. priore sed permissionem tamen statuunt necessitantem, quæ consistat in gratiæ ad peccatum vitandum necessariæ subtractione. Vid. idem, ut & Calvinus l. c. 5. Et c. & Piscator ad amicam collationem Vorstii l. c. 65. n. 16; quandoque Deum causam per accidens peccati vocant, ut Wendelinus l. 1. Synt. majoris c. 6. p. 424, sed cum propter intentionem minus principalem, quatenus illud non intenditur nisi propter bonum finem, tum propter naturam peccati, quod cum privatio sit, causam perse efficientem non habeat, sed deficientem; quandoque Deum peccati quidem, at non, quatenus peccati, autorem esse dicunt, sed ex eadem ratione. vid. Polanus l. 4. Synt. c. X. p. 466.

Inter-

Interesse illorum in universalis rerum determinatione, & ordine prædestinationis positum est, qvem à fine nempe damnatione, ad media nempe peccata, continuo decretorum ordine deducunt. Interim Sublapsarii communiter queruntur, injuriam Calvinianam hujus dogmatis imputatione fieri. Videantur Heidelbergenses im ausführlichen Bericht c. 1. & Polanus l. 6. Synt. c. 3, quanquam nec illi permissionem peccati, Deique ordinationem circa illud, melius explicant. Idem c. 7.

Obj. I. Dei decreto peccata hominum adscribi, ut venditionem Josephi, Gen. 45, 8, obdurationem Pharaonis, Exod. 4, 21, & Israëlitarum, Esa. 63, 17. Job. 12, 39. Et. conf. Es. 48, 43 in versione Tremelli, & Junii maledicentiam Simei, 2. Sam. 16, 10, concitacionem Davidis ad numerandum populum c. 24, 1, seductionem Prophetarum, Ez. 14, 9. 2. Par. 18, 22, traditionem Christi, Act. 2, 23. c. IV, 27, seq., conclusionem sub incredulitate, Rom. XI, 32, tandem formationem impii ad diem malum, Prov. 16, 4, & positionem hominis ad ruinam 1. Pet. 2, 8. Resp. In omnibus his locis sensum, si datur, molliorem duriori præferendum esse, pietas frader. Itaque 1) Deo accessibuntur non peccata, sed peccatorum directiones ad certum finem. Non enim proditio fratrum causa per se erat ejus successus, ut Joseph præficeretur Ægypto. 2) Verba in Hib. 8, 11 significant etiam negativè, ut Exod. 1, 17; adeoque verba obdurationis, seductionis, traditionis pro negatâ ulteriore conversionis gratiâ accipienda sunt. 3) Es. 48, 4. vi Hebraïsimi multò planius redditur: ex quo scivi, quam, ex præscientiâ mea est. 4) Dicta acerba in Regem proferri posuerunt non tantum ex malo affectu, sed ex officio Prophetico; ubi posterius David ex animi modestiâ credere voluit. Alioquin sitali instinctu id factum esse credidisset, quo omnia peccata fiant, quod à Calvinianis supponitur, non magis inde à presenti pœnâ, quam qvivis alius, ex eis potuisse. 5) Incitatio est incitatoru per ellipsis imperonalem Hebræis frequentem (vid. salut. Fr. 23, 6. textus Hebræus) quod agnoscit Junius, & ex 1. Par. 22, 1. confirmatur. 6.) Ez 14, 9. n. c. è intelligitur juxta ductum Lutheri non de incitatione ad falsas prophetias, sed ejus vindicatione per precipitationem in malum pœnale. 7) Consilium de Christo est permissionis, non procurationis. 8) Conclusio sub peccatum fit aestimatione & declarazione, non effi-

cientiâ. 9) *Malum pene est, non malum culpæ, ad quod provebitur impius.* Non enim facit impium Deus, sed facit, ut ad diem malum pertingat; nec ponit incredulos ad peccandum, sed ad interitum, qui à Christo damnationis sententiam accipiunt, eò quòd increduli sunt.

Obj. II. Deum peccata peccatis punire, ut adulterium Davidis incestuoso adulterio filii 2. Sam. 12, 11, & idololatriam Gentium Sodomiticis impuritatibus, Rom. 1, 24. Resp. Distinguenda est dilectio peccati futuri, ratione circumstantiarum, ut *vrgat in panane* delinquentum, ab ipsâ ejus procreatione; illam, non hanc, Deo adscribere, pietas jubet. 2) *Traditio,* perinde ut obduratio, datur *negativa;* quæ non est nisi derelictio, seu non ulterior recuperatio ejus, qui se avertit.

Obj. III. Deum peccata quandoque imperare, ut immolationem filii, Gen. 22, 2, ablationem vasorum Ægyptiorum Exodi c. XI, 2, scortationem Prophetæ, Hoseæ c. 1, 2. c. 3, 1. Resp. 1) *Quia Deus est & vita & bonorum nostrorum Dominus, poterit jure suo auferendi illa, cui vult, mandatum dare, qui non peccat exequendo mandatum Dei;* et si peccaret, si citra tale mandatum idem tentaret. 2) *Quia Deus benevolentiam Ægyptiorum Israélitis conciliavit, ut & sponte commodarent aurum suum, Exod. XI, 3,* nec repeterent c. 12, 33, non erat hoc furtum, quòd non auferebatur invitis dominis. 3) *Non jubetur Propheta scortari, sed scortum ducere.* Etsi enim norat, conjugem sibi fidam non fore, neque fidem perpetuam castitatis ab ipsa stipulari poterat c. 3, 3; ipse tamè illi fidus fuit.

Obj. IV. Determinationem hominis ad peccatum divinitus factam, intelligi tantum de actione ipsâ, non ejus vitio, quippe quod pendeat à causa instrumentalis, atque ita doctrinam Calvinianam impietati accusari non posse. Resp. *Vana est & illusoria haec excusatio, nam 1) si causa secunda est instrumentalis respectu primæ, ita ut & in essendo & in agendo ab illâ specificè determinetur; non potest vitium ab actione abstrahi, nec ab instrumentalis causa proficiisci, nisi propter principalem seu primam. 2) Si homo determinatur ad peccatum, quatenus est medium damnationis, determinatur ad peccatum quâ tale, Deusque & physicè & moraliter, & intentione & influxu, ejus causa per se est.*

Obj. V.

Obj. V. Deum velle peccata; èò quod non permittat illa invitus, & cum possit, impedire nolit, sed gratiam non peccandi retrahat. Resp. 1) Vult permittere si fiant, non vult ut fiant; 2) Non vult impedire absolute, quia non tenetur; vult tamen ordinatè in certâ operationis mensurâ. 3) Gratiam retrahit nonnisi repudiatur. Vult itaque voluntate consequente, non antecedente; nempe quia homines non aliter volunt, non ut ejus voluntas voluntatis humanae causa sit.

Ques. II. An peccatum originis per ipsam generationem tam anima quam corporis naturaliter à parentibus in posteros propagetur? Relp aff. qvia 1) homines in Adamo peccarunt, adeoq; jactum in eo, tanquam sui radice, virtualiter infecti sunt, Rom. 5. v. 12, & ita non nisi per multiplicationem seu generationem sui factam infici potuerunt. 2) Ratio peccati & ineptitudinis nostræ ad regnum cœlorum in ipsa generatione ponitur, Psal. 51, 7. Job. 3, 6; ut ab uno homine Adamo tanquam radice communi, & in generatione ut principium natura prius se habiente, descendit, Rom. 5, v. 12. 3) Animæ disertè dicuntur à parentibus ortæ esse, Gen. 46, 26, & inde posteri illarum conditionem sequi, Ebr. 7, 9. seq. 4) Per contrariam hypothesin culpa peccati originis in DEUM redundaret, vel phisice, quatenus animam talem crearet, vel moraliter, quatenus eam in corpus inquinatum intruderet.

Contra Calviniani plerique animam immediatè à DEO creari dicunt, atque ita peccatum originis vel 1) à solo corpore repetunt formaliter impuro; unde anima pura inficiatur, ut Polanus l. 6. c. 3. Synt. Wittakerus l. 1. de peccato orig. c. 8. Altingius; Beza Ec. vel 2) à corpore dispositivè tantum impuro, ut Cartesiani, qui per impulsum motuum corporis ad glandulam pinealem, quibus anima cedat, hanc infectionem explicant, vid. Wittichius Theol. pac. §. 59. Ec. vel 3) à semine dispositivè tantum impuro, & peccati excitandi instrumento, ut Keck. l. 2. Syst. c. 17, Baronius (Calv. Scotus) Pbil. ancill. exerc. 2, Vedelius in opusculis Theologicis novis p. 226. vel 4) ab anima sensitivâ rationalem

nalem inquinante, ut Deusingius de orig. animæ diff. 3. Comenius, Telenus &c. vel s) ab ipso homine, qui nascitur, qui propter defectibilitatem suam ipse sui peccati originis causa sit, ut Voetius P. 1. disp. select. p. 1104. &c., qui disertè generationem à parentibus factam propriè & perse ejus causam non esse, concludit p. 1099. Omnes autem illi factum protoplastorum non nisi moraliter ejus causam constituunt, in quibus nempe omnes homines generaliter & scheticè fuerint peccaverintque; physicam vero primam, sed mediataam causam (si non verbis, tamen ipsa re) faciunt Deum, animas in pœnam ejus peccati sine justitiâ originali & viribus, quibus peccati motibus resistant, inermes, creantem, vid. Voetius p. 1096. Peculiaris est sententia Jos. Placei disp. de statu hom. l. p. 38, quod peccatum originis propagetur per animam sensitivam ad gradum animæ rationalis promotam: Unde neque imputationem primi peccati, nisi mediante nostri ex Adamo propagatione agnoscit peculiari tract., notatus propterea fratribus suis, imputationem in solâ schesi & morali inexistentiâ posteriorum in Adamo fundantibus. Semi-Socinianismi; quanquam hodie in Galliâ multos dicitur asseclas habere.

Interesse illorum propriè nullum est, nisi quod difficultatibus philosophicis auscultantes, ex dogmate de hominis ad peccatum determinatione faciliores sint ad hypothesin de animâ defectuosa creatâ amplectendam.

Obj. I. Creationem animæ in ipsis S. literis doceri Eccl. 12, 7. Zach. 12, 1, unde DEUS dicatur Pater spirituum, Ebr. 12, 9, Resp. 1) Loca priora aperie ad primam, non quotidianam aliquam creationem referenda. 2) Pater spirituum per hebreum dicitur, ut Pater lumen Iac. 1, 17, pro Patre spirituali, lucidissimo. Conf. similia constructio Psal. 116, 13. Prov. 14, 5. 3) Spiritus carni oppositus in S. literis non animam, sed spirituales dones gratiæ saepissimè significat.

Obj. II. Animam non esse materialem, adeoque nec ex potentia seminis elici posse, nec ab animabus parentium decidi, quæ

quæ nempe divisibiles non sint ; ideoque non generari.
 Resp. 1) In tantâ mentis caligine , quâ neque naturam animæ aut rerum immaterialium , neque rationem virtutis plasticæ , quæ vel in corporibus est , recte intelligimus , ex hypothefibus ratiocinationis nostræ aperta Scriptura sacra testimonia vel impugnare vel torquere velle , temerarium est . 2) Non minor virtus est , omnia ex nihilo creare , qvâ animas ex animabus multiplicare , aut hujus multiplicationis vim illis indere . 3) Itaque nec ex materia educi , nec ab animâ instar portionis quantitativæ decerpî eam dicimus , sed ab eadem tanquam principio activo , vim suam semini imprimente (modo licet nobis inexplicabili) emanare dicimus , ita ut generatio non sit duplex , alia animæ alia corporis ; sed una totius compositio .

Instant : Sic animam vel totam traduci , vel ex parte . Si tota , necesse est parentes interire ; si pars , tum seqvitur : ~~animes~~ & simplicem essentiam dividî posse ; quorum utrumque absurdum . Resp. Non seqvitur , si quid ab alio totum producitur , produci cum producentis interitu : nam & totum lumen à lucernâ acceditur , nihil ut decedat lucernæ .

Obj. III. Sic semen fore hominem , etiam id , qvod vel fortuitò vel per malitiam perit : item , hominem duas animas habiturum esse , vel à matre non æq; descendere : qvod omne absurdum . Resp. Ut non quodvis corpus , sed organicum , ita non quævis animatio , sed animæ perfectæ , que à concursu utriusque seminis suo modo atque ordine prodit , hominem constituit .

Obj. IV. Ita animam fore resolubilem & mortalem , si generabilis est . Resp. 1) Si id universaliter intelligitur de quævis generatione , quod corruptibilitatem inferat , quid fieri de Filio D E I etiam generato ? 2) Sit anima resolubilia in potentia obædientiali ; propterea non est in potentia naturali . Nam

ut homines multa possunt movere, quæ non possunt sistere, componere quæ non solvere, & contra, ut non in chymia tantum, sed & culinâ notum est ; ita etiam natura. 3) Etiam in statu integro homo fuisse generabilis neque tamen mortalis.

Qv. III. An vi peccati originis omnes omnium, etiam sanguinorum hominum, liberi ex ipsâ sui generatione sint ira divina & damnationi æternæ subjecti ? Resp. aff. quia 1) etiam Paulus & alii à fidelibus majoribus orti, sunt naturâ filii ire Epb. 2, v. 3, & sic quoque David in peccatis conceptus, Psal. 51, 7. 2) Filii neque Abrahams secundum carnem æstimantur, Rom. 9, 8, neque ad salutem prodest, ejus semen carnale esse, Matt. 3, 9. 3) Filii DEI sunt, non, qui ex sanguine, sed qui ex DEO nati sunt, Job. 1, 12, & omnes generatione novâ indigent, Job. 33, 3.

Contra I. Zwinglius l. 2. de bapt. T. 2. Operum p. 89 &c. seq. & art. IV. confess. Helvet. Augustus exhibet docet ; illic quidem, peccatum originis damnationem non mereri, si quis parentes modò fideles nactus fuerit : hic vero, peccatum originis non propriè peccatum esse ; sed morbum & conditionem naturæ. II. Calviniani plerique omnes, ut ipse Calvinus l. 4. inst. c. 15, præsertim §. 20. & 24. Beza P. 2. resp. ad coll. Mompelg. p. 102. seq. Pareus in c. XI. ad Rom. Molinæus vol. 1. diss. Sedanensis p. 209. docent : liberos fidelium & ante nativitatem & statim à nativitate sui esse in adoptione & gratiâ DEI, Christianos, & vitæ æternæ heredes ; agnoscuntque in iis sanctitatem, non (ut ajunt) internam, sed federalem, i. e., ut explicat Pierius titulus à Gerb. L. de bapt. §. 214, non naturâ ex parentum procreatione, sed gratiâ ex divino födere, illis competentem. Nilominus hæc cum distinctione inter electos & reprobos intelligi volunt. Vid. Martyr ap. Gerb. l. c. §. 236.

*Interest illorum est, aliquatenus quidem in baptismo vir-
tute negata, præcipue vero in gratiâ æternæ immutabilitate,
quæ*

145

quæ ex ~~ab~~ ^{et} ~~absoluto~~ decreto pèndet, vi cuius nunquam candidè sta-
tuere possunt, quod Adam primo peccato iram DEI incur-
rerit: Unde *Hulsius* in *specim. Theol. hypothetica* p. 60. seq. proto-
plastos, et si lapsi sint, fuisse tamen Ecclesiam DEI invisibi-
lem, ait, provocatque *ad Whitakerum*, qui illos penitus à Deo
defecisse neget, afferatque, quod tam in lapsu & post lapsum,
quàm ante illum, ecclesia DEI fuerint. Accedit alia hypothe-
sis de justificatione alia, vel ab æterno vel à tempore promissi pa-
radisiaci omnibus electis facta, apud *Maccovium L. C.* c. 69. p. 676.

Obj. I. Fœdus divinum ictum esse cum Abrahamo &
posterioris *Gen. 17, 7*, unde promissiones in liberos deriventur ¹⁸⁷
2, 39, & sanctitas alterutrius etiam parentis fidelis redundet in
liberos, *1. Cor. 7, 14*, juxta generalem regulam *Rom. c. XI, 16*.
Resp. 1) Si fœdus Abrahamicum alii omnes posteriores DEO adoptat
in gratiam, nemo ex illâ gente periret; quod falsum esse Calvinia-
ni ultrò largiuntur. 2) Fœdus Abrahamicum, quantum
ad gratiam spiritualem, requirit filios non carnis, sed fidei;
ut explicat Apostolus *Rom. 9, 7, &c. Gal. 3, 7*, nec non Petrus
1. c. v. 38; quantum autem ad progeniem Jacobi carnalem limitatur,
non est adoptionis spiritualis, sed privilegii tantum externi,
quo ad gratiam propior fit accessus. 3) Sanctitas liberorum apud
Apostolum non major intelligi potest, quàm quæ est parentis
infidelis per conjugium sanctificati; ideoque vocationis tantum
& accessus ad sacra Christianorum, non adoptionis. 4) San-
ctitas massa & ramorum *Rom. XI, 16*. amissibilitas est; Ergo
per Calvinianam hypothesin de jure adoptionis intelligi
nequit; sed de jure vocationis explicanda est, de quo totus contex-
tus loquitur.

Obj. II. Dari *Judaos* natos & naturā tales, oppositè ad
eos, qvi sunt ex gentibus peccatores, *Gal. II, 15*: Ergo pariter
dari *Christianos* natos. Resp. 1) *Iudaum* nomen est gentis,
non religionis. Unde qui voluntate suâ ad religionem illo-
rum accesserunt; non *Judei*, sed *profelyti* vocabantur, *Act. II, 10*;
G 3 Chri-

Christianum vero nomen est fidei Act. XI, 26. 2) *Nascitur quidem Iudei sub obligatione legi Mosaicæ, de qua loquitur Paulus l. c.; non verò in statu gratiæ.* 3) *Ethnici dicebantur peccatores nat' οἰχούντες, non quod Iudei ex nativitate minus rei essent; sed quod privilegio vocationis gratiæ eminenter, dum Ethnici quasi pro derelictis à DEO haberentur.*

Obj. III. Embryones etiam à DEO diligi in utero materno, Rom. IX, 12, atque eligi Jer. 1, 5, & Sp. S. impleri Luc. 1, 15, ut DEus illorum DEus sit Psalm. XXII, 11. **Resp. 1)** *Alia est electio divina, quæ fit ab aeterno & consistit in decreto gratiæ; alia gratiæ actualis collatio.* 2) *Locus duobus prioribus neque de electione ad vitam; sed de externâ prerogativâ & ministerio verbi agitur.* 3) *Extraordinarium exemplum Johannis non facit regulam universalem; multò minus exemplum Christi in Psalmo loquentia, cuius ut sancti sanctorum planè alia ratio est.*

Obj. IV. *Pios parentes, precibus suis infantes DEO commendantes, utique exaudiiri.* **Resp. 1)** Etiam reproborum parentes fideles pro sisdem orare credunt Calviniani; nec tamen minus illos pro reprobis habent. 2) *Exaudiuntur preces parentum ad voluntatem DEI fusæ, ut DEus vel ordinario vel extraordinario medio illorum curam habeat, ne per ipsum ster, quo minus salventur.*

Obj. V. *Etiam Nostrates infantes pro adoptatis & regeneratis ante baptismum habere, quod solennibus in precibus eos servos DEI vocent, & de fide mox interrogent.* **Resp.** Ceremonie illæ, ex Baptismo adulorum ad infantes translatæ, non quid illi actu, sed quid ex intentione patrinorum sint, & jam fieri debeant, exponunt, phrasibus secundum vulgatum illud: *cingendus habetur pro cincto, expiecanatis.*

CAP. X.

346

CAP. X.
DE
LIBERO ARBITRIO.

Quest. 1.

AN Homo peccator liberō arbitrio etiam circa actus pædagogicos & externam mediorum salutis usurpationem nec non honestatem civilem, careat? R. b. neg.: qvia 1) eā in re inter ipsos irregenitos, svavitate doctrinæ cœlestis nulla adhuc ratione motos, observatur differentia; qvam ut operationi gratiæ adscribamus, nulla causa est, Act. XVII, 18. sq. Ezech. XXXIII, 30. 2) Post actum auscultationis externæ demum initium operacionum gratiæ ponitur. Act. XVI, 13. /q. c. II, 6--13. coll. cum v. 37. 3) Externa mediorum usurpatio, qvamdiu sincerus cordis affectus abest, mera est hypocrisis, qvam Deus aversatur, nec operari potest, Psal. L, 17. Esai. I, 11. /c. LXVI, 3. 4) Finis luminis naturalis est, querere Deum Act. XVII, 27; adeoqve inquisitio illa est per naturæ vires possibilis: abusus vero ejusdem hominis inexcusabili malitia adscribitur, Rom. I, 19, 20, 32.

Contra omnes, qui universalem rerum determinationem statuant, necessariò, ut reliqvas omnes actiones hominum ita & pædagogicas & qvæ civilis honestatis sunt, eidem subjiciunt. Sic etiam Polanus l. 6. Synt. c. 6. p. 621, in theorem. de lib. arbit. ad virtutes etiam irregenitorum singulare auxilium gratiæ divinae requirit. Conf. Chamier. T. 3. panthr. L. 2. c. 10. & Calvinus l. 2. inst. c. 3. n. 5; atqve ita servitutem arbitrii non à peccato, sed ab absoluto decreto dedit der Psaltische Anhang p. 68.

Interesse & objectiones sunt in Articlelo de Providentia.

Ques. 11. An voluntas semper sequatur ultimum judicium intellectus practicum? Resp.: neg. qvia 1) dantur peccata contra conscientiam, Tit. III, v. 11. Rom. I, 32. 2) Facta conscientiæ dubiæ Rom. II, 15. c. 14, 22. 3) Idem experientia testatur.

Contra Chamier T. 3. panthr. L. 2. c. 9. n. 6, & cum illo plures alii non-Cartesiani docent voluntatem semper à judicio intellectus dependere, & si qvid pravum appetat, ab eodem decipi.

littera



Interesse illorum est in quæstâ conciliatione libertatis cum determinacione divinâ.

Obj. Voluntatem non appetere nisi bonum vel verum vel apparens; ideoque ab intellectu vel vero vel errante objectum.
Resp. Apparentia boni non semper est à judicio intellectus, sed vel à sensu externo, vel ab impetu interno, omne intellectus judicium, si non & ipsam perceptionem, saepius antevertente, saepius abrumpente, saepius negligente. Non enim omnes actiones hominum sunt deliberativa, nec ubi deliberatio præcesserit, ordinata.

Qv. III. An quamvis non ignorantia, error tamen intellectus omnis ab homine caveri possit? *Resp.* neg. qvia 1) homini animali mysteria Dei sunt subtilitia, 1. Cor. 2, 14, & carnis *φρεγκα* inimicitia, Rom. 8, 7, quæ error positivus est, non mera ignorantia & causa incapacitatis humanæ 1. c.: adeoque non libera homini, sed necessaria. 2) Destructio ratiocinationum earumque captivatio per carnem, i.e. humanam naturam, non sit 2. Cor. X, 3, 5. 3) Nec lapsus lingua caveri potest, Jac. 1, 3, ergò multò minus error intellectus.

Contra Cartesiani, ut Wittiebius Theol. pacif. §. 49, & Burmannus l. 1. Synop. Theol. c. 14. §. 19. docent: nos semper ab iis, quæ non planè certa & explorata sunt, abstinere posse, quo minus de iis judicemus, & sic errorem omnem caverem, eo quod iudicium non sit in intellectu, sed in voluntate.

Interesse est Cartesii autoritas incautius commendata. Emolliit tamen hæc Alinga in duodecima decade erotem. p. 261, quod non possimus quidem esse absque errore respectu hereditarie corruptionis, possimus tamen respectu essentialis in voluntate libertatis non sublatæ. Quorum verborum sensus satis obscurus est. Quod si tamen id vult, nos, et si errores caverem non possumus, ad nullum tamen per naturam determinari, admitti potest explicatio.





Cqvis non celebret Specimen Studii
radiantis,

Qvod prodis Fautor ! laudibus
egregiis ?

Gratulor has laudes. Te Gratia porro coronet,
Ut sic perpetuâ laude canatur honor.

*Sic Clariss. DN. RESPONDENTI Auditori
suo perquam industrio lmg; applauder-
bat*

Z. GRAPIUS. D.

Der Fleiß ist überall zu grossem Ruhm gesetzt /
Und wenn Apolo sieht / daß unverdross'ne Proben
Und was besonderes den flugen Thäter loben /
So wird ein solches Herz der Ehrenwerth geschäkt;
Geh dann / Deehrthester ! durch manchen Fleiß und
Schweiß
Zu deiner Tugenden ganz Hochverdienten Preis !

Mit diesem Wunsch wolte dem Herrn Respondenti
von Herzogen gratuliren:

M. Joh. Joach. Weidener /
Prediger der Christlichen Gem. zu St.
Mar. u. der H. Schrift Odus,

Da

DA Er/ Hochwehrter Freund! will zur Catheder gehen
Und heute machen kund für der gelehrten Welt/
Wie ER sich wolle nicht zur falschen Lehr gestehen /
Die/ was nur mit Vernunft sich reimt / für Warheit hält:
So lasz der Himmel ißt gelingen sein Beginnen/
Er kröne stets sein Thun mit selbst-erwünschtem Glück/
Er lasse nimmermehr das gute Werk zerrinnen /
Wodurch Ihm wird geschafft ein angenehmer Blick.

Hiermit wolte seinem wehrtgeschätzten Freunde von Herken
Glück wünschen dessen jekiger Opponens

Zacharias Krüger/ Matersa-Mecl.
S. S. Theol. & Phil, Stud.

SO recht mein Werthester / wer nur mit Fleiß studiret /
Dazer durch Gottes Gnad mit Weisheit wird gezieret /
Der giebet an den Tag / daß unverdroßner Fleiß
Auch endlich bringen muß den allerbesten Preis.
Fahr fort mein lieber Freund in solchen guten Thaten/
Der Höchste wird dir auch in deinen Sachen rathen.
Denn wer aus reiner Lieb auf Gottes Wegen steht /
Erhält auch dieses leicht/ wohin sein Wünschen geht.

Mit diesen wenigen gratulirte seinem werthgeschätzten
Freund jekiger Opponens

Joh. Fried. Schröder /
SS. Theol. Studiosus, Meckl.



Cqvis non celebret Specimen Studii
radiancis,

Qvod prodis Fautor ! laudibus
egregiis ?
as laudes. Te Gratia porro coronet,
perpetuâ laude canatur honor.

*Sic Clariss. DN. RESPONDENTI Auditori
suo perquam industrio Imq; applaude-
bat*


Z. GRAPIUS. D.

Fleiß ist überall zu grossem Rhum gesegt/
völo sieht / daß unverdroß'ne Proben
onderes den flugen Thäter loben /
dein solches Herz der Ehrenwerth geschäfft;
Veehrtheester ! durch manchen Fleiß und
Schweiß
igenden ganz Hochverdienten Preis !

Mit diesem Wunsch wolte dem Herrn Respondenti
von Herzgen gratuliren:

M. Joh. Joach. Weidener /
Prediger der Christlichen Gem. zu St.
Mar. u. der H. Schrift Ddus.

Da



the scale towards document

Patch Reference number on UTT
Serial No. 520

Image Engineering Scan Reference Chart TD23